Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Terrae sanctae vetus effigies ex. scripturae libris adumbrata - Cod. Ettenheim-Münster 117

[S.l.], [18. Jahrh.]

Caput I.

urn:nbn:de:bsz:31-111337

Visual Library

Terræ Sanctæ vetus effigies.
Ex S. Scripturæ libris adumbrata.

Pars I.
De
Terræ S. limitibus, ambitu, varijs nominibus et Incolis, ubertate, aquis, montibus, vallibus, campis, desertis, saltibus etc.

Hujus partis duo erunt capita, suis paragraphis distincta, in quorum primo de terræ S. limitibus, ambitu, nominibus, Incolis, et ubertate agemus, in secundo autem de illius aquis, montibus, vallibus, campis, desertis, saltibus etc. tractabimus.

CAPUT I.
de
terræ S. limitibus, ambitu, nominibus, Incolis, et ubertate.

Hoc caput quinque §§ concluditur, in quorum 1mo limites et ambitum Terræ S. exhibemus; In 2do undè terra Chanaan dicta sit, ubi et de Chananæis agemus. In 3tio undè Palæstina vocata fuerit, ubi de Philistæis. In 4to Quare Terra promissionis et Terra S. nuncupata fuerit, exponemus. In 5to denique de illius ubertate disseremus.

§ I.
De limitibus et ambitu Terræ Sanctæ.

2 Jam superius in proœmio memoravimus terram S. utramque Jordanis fluvij ripam occidentalem nempe et orientalem attingere, et ubi ab occidentali hujus fluminis ripa ad mare magnum protenditur, cis-Jordanicam nuncupari, ubi verò ab illius ripa orientali ad montes Galaad et Arabiam porrigitur, trans-Jordanicam dici.

Igitur terræ S. universim limites sunt ad ortum Arabia, ad austrum desertum Pharan et Ægyptus, ad occasum Mare magnum seu Mediterraneum, et ad septentrionem montes Libani, qui illam à Phœnicia et Syria distinguunt.

Quod illius ambitum attinet, juxta S. Hieronymũ, Josephum, Eusebium, et Itinerarium vetus Jerosolymitanum, ejus longitudo à Meridie in Septentrionem, nimirum à Bersabee in Tribu Simeon usque Dan in Tribu Nephtali, est 160. milliarium Romanorum seu Hebræorum; * ab Idumæa vero usque Dan 183. Latitudo autem ab occidente in orientem, nempe ab Ascalona urbe Tribus Judæ in littore maris Mediterranei posita usque ad montes Galaad et Arabiam 89. milliariũ Romanorum; et à Joppe urbe maritima in Tribu Ephraim usque ad eosdem montes 97.

* Milliare Romanum æque ac hebræum mille passibus Geometricis, quorum quilibet est quinque pedum, numeratur. quatuor hujusmodi milliaria unicum germanicum efficiunt, et tria leucam gallicã.

§ II.
Unde Terra S. dicta fuerit Terra Chanaan, et de Chananæis, seu filijs Chanaan, eorumque posteris.

3 Regio, quæ à Jordanis ripa occidentali ad mare mediterraneum porrigitur, olim, et primitùs terra

Chanaan dicta est, à Chanaan filio Cham unius è tribus Noë filijs: amborum fit mentio Gen. 9. v. 18. et 10. v. 1, 6, 15.

Communis opinio est, Chanaan in hac regione post diluvium vixisse ac diem supremum obijsse. Antiquitus ostendebatur ejus sepulchrum 25 pedes longum, in Spelunca montis Pardorum non procul ab Jerusalem.

4 Verum quidquid ea de re sit, exploratum habemus ex Scriptura Gen. 10. 13. et seqq. undecim ejus filios terram hanc primum habitasse atque inter sese divisisse, quorum deinde posteri singulorum nominibus insigniti fuerunt, specialesque populos constituerunt, qui omnes terram hanc, priusquam ab Israëlitis occuparetur, incoluerunt, quorum primas sedes ponit Moyses. Gen. 10. 19. inter urbes Sidonem ad Septentrionem et Gazam ad Meridiem, et ab Occidente versus Orientem usque Sodomam, Gomorrham, Adamam, et Seboim urbes ad mare Mortuum sitas, necnon Lesam, quae, inquit S. Hieronymus, quaest. ad Gen. 10. 19. nunc Callirhoë dicitur, ubi aquae calidae prorumpentes in mare Mortuum defluunt.

Hos Chanaan filios Scriptura hoc ordine recenset. Gen. 10. 15 et seqq. Sidon primogenitus, Hethaeus, Jebusaeus, Amorrhaeus, Gergesaeus, Hevaeus, Aracaeus, Sinaeus, Aradius, Samaraeus, et Amathaeus.

5 A Sidone dicti sunt Sidonij Sidonis urbis ab ipso conditae et Phoenices Metropolis incolae. Hi populi speciale Chananaeorum nomen retinuerunt, eoque intellexisse videtur Scriptura. Num. 13. 30. et Jos. 11. 3. aliter de Chananaeis singulari inter posteros Chanaan gente sentit Relandus. vid. infra. n. 22. Sidoniorum regio ab ubertate palmarum, quam profert, à Graecis Phoenice ipsique Phoenices apellati sunt. Φοινιξ enim palmam significat. Urbs Sidon sita est ad Mediterraneum in finibus borealibus terrae Chanaan in agro amoeno diei itinere à Paneade, ubi Jordanes fluvius è terra, cujus meatibus à lacu Phiala, è quo ortum ducit, pervasis erumpit. Commodo portu ornata est. Quamvis ipsa in sorte Tribus Aser. Jos. 19. 28. ubi Josue eam Magnam Sidonem appellat, et Jud. 1. 31. recensita fuerit, nunquam tamen hujus Tribus viri illa aut ejus tractu potiti sunt, quod incolae ipsis semper masculè restiterint.

Clarissima fuerunt Sidoniorum numina Baal seu Sol, et Astarte seu Luna. Herculem etiam coluêre. Phoenicum cultus idololatricus saepe inter Hebraeos irrepsit, potissimum post ductam ab Achab Rege Israëlis Jezabelem filiam Ethbaalis Sidoniorum Regis. 3. reg. 16. 31.

6 Ab Hethaeo Hethaei prognati sunt, sedemque suam habuerunt circa Hebronem in meridionali terrae Chanaan ora. Gen. 23. 2, 3, 7, et 20. Num. 13. 30. dicuntur una cum Jebusaeis et Amorrhaeis habitasse in Montanis. Nomen istud alijs quoque forte ejusdem cum istis prosapiae gentibus dari videtur. Jos. 1. 4. Jud. 1. 26. et 3. Reg. 9. 20, 21. ubi dicitur Salomon Hethaeos fecisse tributarios. Ibid. C. 10. 29. Reges Hethaeorum memorantur, qui in Aegypto aut in Syria fuisse videntur. Item 4. Reg. 7. 6. ubi dicitur Rex Israël adversum Syros conduxisse Reges Hethaeorum et Aegyptiorum.

7 Jebusaeus pater fuit Jebusaeorum. Gen. 10. 16. Jos. 15. 63. Jerosolymam, quae istorum, seu potius patris sui illius conditoris nomine Jebus dicta fuit, vicinosque montes tenebant. Bellicosi erant, suamque urbem adversus Hebraeos tuiti sunt usque ad Davidis aetatem, à quo ea expulsi fuere. 2. Reg. 5. 6.

8 Amorrhæus, ex quo Amorrhæi. Hi habitabant in Asasonthamar. Gen. 14. 7. quæ est Engaddi. 2. Par. 20. 2. id est, Urbs palmarum et in convalle Mambre et Escol seu in valle Botri juxta Hebronem. ibid. v. 13. Deut. 1. 24. Num. 13. 30. Exploratores missi ad lustrandam Terram promissionis referunt Hethæos, Jebusæos, et Amorrhæos habitare in Montanis. 2. Reg. 21. 2. Gabaonitæ dicuntur esse ex reliquijs Amorrhæorum. Amorrhæi etiam trans Jordanem sedem suam protenderunt, scilicet ad Septentrionem Arnonis fluvij, uti patet ex Num. 21. 13. ubi Arnon dicitur esse terminus inter Moabitas et Amorrhæos, quodque Sehon Rex Amorrhæorum possederit omnia ab Arnon usque ad torrentem Jaboc. Num. 21. 24. Imò etiam ultra torrentem hunc habitarunt Amorrhæi. Num. 32. 39. Josue. 24. 8. Quare non Sehon tantum, sed et Og Rex Basan seu Batanææ appellatur Rex Amorrhæorum. Jos. 9. 10. pulsis nempe Ammonitis et Moabitis, qui prius has terras possidebant, Sehon ad Meridiem imperavit, Og verò seu Rex Basan ad Septentrionem. Num. 21. 21. et 22. 33. 35. Deut. 1. 4. et. 2. 9. 24. 26. 30. Psal. 134. et 135. Josephus, l. 4. antiq. 5. horum Amorrhæorum regionem peninsulam esse scribit, cujus latus occidentale Jordanes constituit, Arnon meridionale, et Jaboc septentrionale.

9 Gergesæi à Gergesæo quinto Chanaan filio, trans mare Tiberiadis et ad illius littora potissimum resederunt, Gergesaque urbs in hujus maris ora posita eorum Metropolis fuit, quæ postea Gerasa etiam dicta fuit, ipsique Geraseni. apud ipsos Christus binos Dæmoniacos liberavit, dæmonesque, à quibus obsidebantur, porcos, qui forte ibi pascebantur, intrare permisit. Math. 8. 28. Cis Jordanem apud Jerichuntem unacum Amorrhæis, = Pherezæis, Chananæis, Hethæis, Hevæis, et Jebusæis adversus Israëlitas pugnasse narrantur. Jos. 24. 11. Fors etiam ultrà Jordanem terras quasdam possederunt.

10 Hevæi Hevi sexti Chanaan filij progenies sedem habuerunt ab Haserim urbe, quæ Haseroth creditur, in Arabia petræa, ubi Hebræi in itinere per desertum castra metati sunt. Num. 11. 34. et 13. 1. item. 33. 17. usque Gazam urbem ferme in extremitate meridionali terræ Chanaan ad mare Mediterraneum positam. Inde eos postmodum ~~Caphtorim~~ ꝗ Caphtorim seu Philistini exturbârunt, Deut. 2. 23. et Jos. 13. 4. Sichemitæ etiam et Gabaonitæ stirpes Hevæorum fuêre; hi circa Jerosolymam, illi verò ad Euro-aquilonem mezem in Samaria incoluerunt. Fuerunt etiam Hevæi trans Jordanem ad radices montis Hermon Phœniciæ ad Orientem, Jos. 11. 3. qui Gen. 15. 19. Cadmonæi, id est, Orientales nuncupantur; Kedem enim vox hebræa Orientem significat.

11 Aracæi posteri Arac septimi Chanaan filij ad radices montis Libani sedem fixisse dicuntur, quorum Metropolis fuit Arce, seu Arca, quam aliis tribus Aser fuisse quidam volunt.

12 Sinæus, à quo Sinæi. Hos in monte Libano non procul ab urbe Arca seu Arce sedem habuisse ait S. Hieron: quæst. heb. in genes. Strabo mentionem facit propugnaculi in eodem monte positi Sinna dicti. Sinæi apud Arabes sunt Tripolis in Phœnicia Incolæ.

13. Aradius, ab ipso Aradij dicti sunt. urbem et Insulam Mediterranei ad latus Phœniciæ incoluerunt, quæ ipsorum nomine Aradus dicta est, et cujus ambitus septem duntaxat stadiorum fuit. Quamquam Israëlitis destinata fuisset, eâ tamen diu caruerunt, ac primùm sub Davide et Salomone ipsorum facta est.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST

14 Samaraeus pater Samaraeorum, qui creduntur fuisse veteres Simyrae urbis Phoeniciae ad Orthosiam ejusdem regionis civitatem maritimam incolae.

15 Amath, a quo Amathaei, quos urbem Emath seu Amath vel Emesam in Syria ad Orontem fluvium incoluisse quidam opinantur. hi omnes generali nomine a fundatore suo Chananaei dicti fuere.

16 Praeter hos modo recensitos filios Chanaan eorumque posteros, alibi Scriptura paulo alium veterum Terrae S. incolarum numerum init, atque illorum, quos modo adduximus, quibusdam omissis, eorundem alios supponit. Gen. 15. 19 et seqq. hi decem numerantur: Cinaei, Cenezaei, Cedmonaei, Hethaei, Pherezaei, Raphaim, Amorrhaei, Chananaei, Gergesaei, et Jebusaei: ubi non tantum incolae terrae Chanaan, sed et Libani et aliarum regionum ad Euphratem usque recensentur. Alibi etiam eadem Scriptura septem duntaxat gentes terram Chanaan ante Israelitarum adventum inhabitasse commemorat, nempe Deut. 7.1. Jos. 3.10. act. 13.19. et alibi, suntque Hethaei, Gergesaei, Amorrhaei, Chananaei, Pherezaei, Hevaei, et Jebusaei.

Iterum alio loco scilicet Exod. 3. 8. et 23.23. sex duntaxat numerantur, Amorrhaei, Hethaei, Pherezaei, Chananaei, Hevaei, et Jebusaei. Ibid. vero c. 13.5. quinque solummodo numerantur, nimirum Chananaei, Hethaei, Amorrhaei, Hevaei et Jebusaei. Cujus rei, inquit Relandus, varia probabilia, non tamen certa afferri possunt argumenta, ut, praecipuas gentes nominari, neglectis reliquis, quae aut nullo numero postea censitae sunt, aut deletae ab aliis absorptaeve, vel latentes sub peregrino nomine, aut in alias regiones migraverint.

His igitur Scripturae locis hi populi numerantur velut terrae Chanaan incolae, quorum Gen. 10 nulla saltem nomine tenus fit mentio, scilicet Cinaei, Cenezaei, Cedmonaei, Pherezaei, Raphaim, et Chananaei.

17 Cinaei ab occidentali maris Mortui in ea plaga, quae Tribus Judae ditionis facta est, usque in Arabiam petraeam protenti fuerunt; enimvero eorum regionem ultra illius fines longe excurrisse ex eo intelligimus, quod Jethro Moysis cognatus Sacerdos Madian fuerit. Exod. 3.1. Madianitae autem Arabiam petraeam incoluerunt. [et Cinaeus Judic. 1.16. ac 1. par. 2.55. nec non Saulis tempore Cinaei inter Amalecitas quosdam etiam Arabiae incolas habitarent. Ea quae inter Jethro et Moysen intercedebat necessitudo, causa fuit, cur Cinaeis omnibus, qui sponte se Hebraeis subjecerunt, regio servata fuerit, quamvis ex iis essent, quorum sedes Deus Israelitis destinaverat, Gen. 15.19. Caeteri, qui illorum jugum declinaverunt, ad Idumaeos et Amalecitas se receperunt. Montes inaccessos et cavernas incolebant; hinc eorum pater
q significat Cin dictus est, quod nidum et cavernam, et Cinaeum graece reddi potest τρωγλυται, id est, populi cavernas incolentes. Post regnum Saulis de illis Scriptura silet, quamvis cum Idumaeis et caeteris Arabiae petraeae populis confusi adhuc subsisterent.

18 Cenezaei creduntur montes ad Meridiem Judaeae tenuisse. Conjectura est, quod Cenez quartus filius Eliphaz filii Esau nomen et domicilium ab illis obtinuerit. probabile est illorum nomen brevi defecisse, quod post Moysis tempora altum sit de illis silentium.

19 Cedmonaei iidem fuerunt ac Hevaei, de quibus egimus sup. n. 10

20 Pherezaei caeterorum Chananaeorum progenies ab illis duntaxat in eo distincti videntur, quod certis sedibus carentes huc illuc per totam regionem disp-

tharum et Nomadum instar vagarentur; hinc Pherezæi id est, sparsi et dispersi vocati sunt. Jordanis oras, montes, et agros sparsim incolebant.

21 Raphaim, id est, Gigantes, qui terram Chanaan, antequam Hebræis cederet, incolebant, vallem præcipuè occupabant in finibus sortis Judæ, de qua suo loco agemus.

22 Chananæos eosdem esse ac Sidonios. Sup. n. 5. diximus. Relandus tamen eos speciales populos gentemque singularem, quæ inter Chanaan posteros sibi Chananæorum nomen retinuerit, esse vult; eorumque regionem à maris Magni seu Mediterranei littore ad ripam Jordanis pertendisse fuisse conjicit ex Num. 13. 30. et ex Jos. 11. 3. ubi Chananæus dicitur habitasse ab Oriente et Occidentem scilicet terræ Chanaan. Montana verò incolebant Amorhæi, Hethæi, Pherezæi, et Jebusæi, ibid. adeoque hinc inde versus mare et Jordanem ad occidentalem et orientalem plagam Chananæos habitasse statuit. Hæc de nomine terræ Chanaan, primisque ejus post diluvium Incolis.

§ III.

Unde Terra S. dicta sit Palæstina, et de Philistæis.

23 Postmodum terra Chanaan Palæstina dicta fuit à Philisthijm seu Philistim, ~~[illegible]~~ id est Philistæis vel Philistinis populis, qui ex Insula Caphtor, quam Vulgata nostra Cappadociam, Deut. 2. 23. et Jerem. 47. 4. Septuaginta verò Κρήτην latinè Cretam, quæ nunc Candia dicitur, reddunt, solventes in eam appulerunt, illiusque littora, ejectis Hevæis Chananæorum populis, Phœnicem usque occupaverunt, Deut. 2. 23. ubi Vulgata nostra eos Cappadoces nuncupat. Sunt, qui velint, Philisthijm seu Philistim nomen à Pelusio urbe ægypti ad ostium orientalis Nili rami 20. stadijs à mari positâ derivatum esse, proinde regionem Caphtor videri in ora maritima circa Pelusium quærendam esse, nec vocem Pelistim aliunde commodius duci, quàm à Pelusio. Nonnunquam hebræus Scripturæ textus eos Cerethim, id est juxta Septuaginta Cretenses vocat. Ezech. 25. 26. et Sophon. 2. 5. quod Vulgata nostra interfectores, et gentê perditorum reddit ad litteram, quia Cerethim homines significat, qui excidium et destructionem inducunt. 3. Reg. 30. 14. mentio fit Cerethi, heb: Creth, seu Cereth, id est terræ Cerethim seu Philistinorum. 2. reg. 8. 18. et 20. 23. item 3. reg. 1. 38. ac 1. Para: 18. 17. Celethi et Pheletthi ex Geth Philistinorum urbe oriundi sub Davide celebrantur tanquam fortissimi milites, et corporis ipsius custodes.

Invaluit autem nomen Philistijm seu Pelistim, latinè Philistæi seu Philistini, ex quo Græcorum et Latinorum Palæstini, quo regionis hujus populos insigniverê, regionem verò ipsam Palæstinam dixerunt.

Philisthijm seu Phelistim vox hebræa non est, quam proinde Septuaginta Allophili, id è, alienigenæ reddere consueverunt; ipsorumque regio ab Israëlitis terra alienigenarum dicta est, non quod primùm aliunde ad eã delati sint, ut qui ante Israëlitas in ea fuerint, sed quia juxta eos habitantes religione et moribus alieni, respectu ipsorum alienigenæ fuerunt.

Philisthijm originem duxisse dicuntur à Casluchæis, ī: Caslucim seu Casluchim, qui patrem habuêre Mitzraim Gen. 10. 14. Populi isti initio Pentapolim Cyrenaicam, seu tractum Pentaschœnitem in Ægypto inferiori seu propè Ægyptum è regione Cretæ Insulæ Incoluerunt. Strabo. Lib. 17. pa. 837. inter portum Tyrenes et portum Cretæ Crion metopon, id est, frontem arietis dictum.

1000 stadia ponit. Olim frequens erat commercium Cyrenaicam inter et Cretam insulam, prout ex eodem Strabone et Plinio habemus; unde omnino verisimile est, Casluchaeos ex Cyrenaica colonias in hanc insulam misisse, quae inde ad Palaestinae littora transeuntes, ea occupaverint, a quibus dein universa regio nomen acceperit, nec non Palaestina dicta fuerit.

§ IV.

De caeteris nominibus Terrae Sanctae.

24 Ulterius Regio haec Terra promissionis vocata fuit, quod Deus passim in libris S. populi Israëlitici Patriarchis se illam ipsorum posteris daturum promiserit. Item Terra Israëlitica, quod post fugatos ac magna ex parte subactos Chananaeos populus Israëliticus in ea sederit, nec non inter tribus suas illam distribuerit. Terra Sancta quoque eam vocant Judaei aeque ac Christiani: Illi quidem, quod ipse Deus eam suam dicat, solamque in terris elegerit velut sedem suam, nec non specialiter suo cultui sacraverit, praetereaque, quod, ut primum diximus, illam populo suo promiserit, ac suo tempore, expulsis profanis gentibus, incolendam tradiderit. Christiani vero, quod Messias ipse Deus Jesus Servator noster humana carne indutus in hac terra e virgine nasci voluerit, eamque incoluerit, ac praesentia sua ornaverit per omne spatium illud, quod a cunis ejus ad ascensum in caelos usque effluxit, nec non innumeris paene ipsisque stupendis et hactenus inauditis miraculis divinaque doctrina sua illustraverit &c. Denique etiam Judaea nominari solet a Juda scilicet propria, quod haec omnium tribuum Israëliticarum praecipua esset.

~~Terra Sancta etsi admodum montosa sit~~

§ V.

De ubertate terrae Sanctae.

25 Terra S. etsi admodum montosa sit, fertilissimam tamen fuisse Scriptura variis testatur locis, ut quae eam lacte et melle manantem praedicet; celebrant et omnes antiqui Scriptores, ut, quam omnia ad vitae necessitatem et commoditatem abundanter protulisse memorant, scilicet oleum, vinum, salem, triticum, hordeum, aliasque frumenti species, armenta, oves, capras &c. pisces, quos praecipue mare Magnum seu Mediterraneum, Jordanes flumen, et lacus sive mare Tiberiadis copiose suppeditant; omnis generis volatilia &c. item mel tum ab apibus elaboratum, tum ex arboribus in silvis manans, unde silvestre dictum est; quod S. Joannis Baptistae alimentum fuit, Matth. 3. 4. Omnis speciei arbores fructuosas, inter quas Palmae et Balsami frutices eminebant; lanam et linum ad hominum vestitum necessaria &c.

Equidem nunc paulo tristiorem exhibet haec regio faciem, quod certissimis monumentis testatum faciunt, qui illuc peregrinati sunt, propriisque oculis illam perlustrarunt; ajunt enim magnam terrae partem nonnisi rupes horridasque silvas continere, paucos agros in ea cultos et consitos esse &c.

Verum haec minime obstant, quin verissima sint, quae de ejus ubertate et omnium rerum abundantia tum S. Pagina, tum Scriptores antiqui Ethnici, Hebraei et Christiani uno velut ore praedicarunt. Nec mirum, quod, postquam Judaei ad eam redacti fuere miseriam, ut e suis exturbati sedibus per orbem usque ad extremos dispersi fuerint, tellus ipsa irae divinae vestigia gerens aliam eamque tristissimam induerit faciem. Sacro etiam bello, quod Principes Christiani iteratis vicibus in hac regione susceperunt, ut eo Mahome-

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch
Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST

tanos exuerent, pene devastata fuit. Postmodum
Arabes, aliique Nomades continuis bellis inter se gestis
illam afflictissimum populationum theatrum constitue-
runt, ac etiam adhuc constituunt, ita ut in toto terra-
rum orbe nusquam minus tutum ab insidijs et frequen-
tibus avarorum hominum extorsionibus magis molestu
iter carpatur. Accedit quoque incolarum penuria et
desidia, qui terram colere negligunt, atque vel raptu
vel comercio vivere malunt. Certè rupes illæ, quæ
modo in hac regione nudæ cernuntur, antiquis tem-
poribus terra vestitæ vineisque et frugiferis arboribus
luxuriabant; silvæ nitidiores erant, arvaque copiosos
numerabant cultores &c.

CAPUT II.
de
Terræ S. aquis, montibus, val-
libus, campis, locis in-
cultis, et Saltibus
Seu Silvis.

Hujus capitis quinque sunt paragraphi, quo-
rum primus exhibet aquas, i.e. maria, lacus flumina,
torrentes &c. Terræ S. 2dus montes. 3tius valles. 4tus
campos, deserta et solitudines. 5tus loca inculta et
saltus seu silvas.

§ I.
De aquis Terræ S.

Præter Mare Mediterraneum seu internum, 26
quod hic Magnum ~~[illegible]~~ item Philistæorum
appellari solet, atque terram S. ab occasu alluit, ali-
quot adhuc magni lacus, quos Hebræi etiam nun
Maria appellant, in ea continentur. Eorū facile
præcipuus est, qui ~~Asphaltites~~ à bitumine græcè q Asphaltites
ἄσφαλτος, quod egerit; item Mare salsum ob ni-
miam ipsius aquarum salsitudinem; ac etiam
Mare mortuum, quod pisces non alat, sed hi, ob
nimiam ipsius salsitudinem, eum fugiant, aut si
in illum delati fuerint, statim emoriantur, nun-
cupari solet.

Longitudo ejus est 60. milliarium Romanorum
et latitudo 12. dicitur. Prodidit antiquitas, quod in illo
velut in solido omnia ferantur, ac supernatent, ni-
hilque mergatur; id autem maxima ac insolita aqua-
rum ipsius salsedini tribuendum est; enim verò aqua,
quo salsior est, eo spissior evadit, et corporibus dif-
ficiliorem concedit ad ima transitum.

Verum omnia in illo velut in solido ferri non
arbitramur, cum non modo navibus sit pervius, sed
et natantibus, qui quidem experiuntur se majori
vi sursum ferri ac sustentari quam in alijs aquis,
id, ut dictum, aquarū salsedini tribuendum, nequa-
quam verò, ut credi ~~[illegible]~~, nihil in eo mergi posse. q debeat,

Situs et lacus ita ad orientem tribus Juda. Illius
bina extrema linguæ nuncupantur; ab australi
lingua ad borealem Judæ limes est orientalis. In
boreali lingua Jordanes in eum illabitur.

Sunt, qui credant, lacum hunc primum eo tem-
pore natum fuisse, quo Sodoma, Gomorrha, Adama,
et Seboim à Deo subversæ fuerunt, ita ut aquis illius
tectæ et mersæ sint: at nostro judicio perperam; ne-
que enim in tota S. Scriptura, à qua harum urbium
subversionis historiam ~~[illegible]~~ tenemus, ulla exstat
earum submersionis memoria. Gen. 19. 24 et 25. dun-
taxat dicitur Deus pluisse super Sodomam et Go-